



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Remedia præstantissima, contra præfatas dæmonum tentationes. Can. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Quamquam autem filia eadem mors per meam acerbissimam mortem est destructa, negare tamē nequeo, quod multæ sæpè ac graues periculosaq; mortis vicinis tentationes atque præssuræ occurrant, præcipuè mundi huius amatoribus, qui vanitatibus, voluptatibus, alijsq; obscenis operibus penè omnem vitam suam traduxerunt, & vel vix tenuiter corda sua ante ægritudinem ad me conuerterunt, neque dæmonum suggestionibus resistere, aut non curarunt, aut eorum impulsu victi, noluerunt. Horum (inquam) obtutibus in extremo mortis articulo, mea diuina permittente iustitia, cogor mala quæ egerunt, & bona quæ omiserunt, obijcere, vt compuncti de suis iniquitatibus vel sero peniteant. Item, vt videant quibus in vita seruiertint, contingit nonnunquam vt horum tetra imagines sese illorum aspectibus ingerant. Ex quorum intuitu, quanto perè præmanetur, diuexentur ac coangustentur, difficile est dictu nimis. Nam quodam eorum in desperationis barathrum detrudere nituntur, & omnes quas quidem norunt, nocendi & fallendi artes excogitant, vt miseros hosce ex dolorum pœnarumq; acerbitate deficientes, & vix extremum spiritum trahentes, ad sui consensum pertrahant. Denique nihil non attentant vt eorum animos subuertant, totum suæ malitiæ virus, illis infundendo: nunc occultè, non aperto Marte dimicantes, nunc mala quæ gesserunt ante oculos eorum statuentes, grauiora ea asserentes, quã vt veniam & indulgentiam mereantur: nunc ex bonis quæ operati sunt, falsam quãdam securitatem suggerentes, vnde vel ad spiritualem superbiam, vanam gloriam, sui ipsius complacentiam, aut præsumptionem inducantur, & sic suis eos nexibus implicent. Nunc ob doloris & ægritudinis diuturnam molestiam huiusmodi ad impatientiam compellentes, vt vel signis aut verbis erumpant, murmurando aut malè sentiendo de Deo scilicet, quod secum nimis iustè & immisericorditer agat, quod sine causa eos affligat, denique quod hanc grauem & intolerabilem infirmitatem non meruerint. Item quare hunc vel illum eodem modo non cruciet, cum constet eos magis ob suorum criminum magnitudinem iram Dei promeruisse, quàm ipsi.

Et ita excusando, & suam causam defendendo alios dijudicant: quandoquidem ipsum iudicium peccato minimè careat, nec ita fieri vllò modo deberet. Nunc verò si fortè in prædictis ipsis minus feliciter succedat, alia ingrediuntur via ad infirmorum animos debellandos, vt scilicet ei persuadeant mortem non ita propinquã vt existimant, & idcirco non necessarium, vt se turbent, aut pro clara de peccatis suis cognitione, confessione & contritione dolorosa, laborent: sed bono & tranquillo animo sint, eo quod è vicino sit certa recuperandæ salutis spes: & tunc cum paululùm conualuerint, plenius possint in pœnitentiæ dolore & labore se exercere: nescientes miseri quo in discrimene res suæ versentur, quodq; ipsa mors modo eosdem expectet, suisq; eos iaculis transfixura sit. Hæc & similia callidi hostis sunt tentamenta, quibus hominibus nõ tantum malis, verum etiam bonis quibusq; in hora mortis impugnat & minus cautè sibi prouidentibus imponit. Quare quàm consultissimum ipsis fuerit, vt gratiam Dei & sanctorum patrocinia contra dæmonum impugnationes implorent, ne per eorum fraudem & astutiam superati in æterna tormentorum loca deportentur.

Remedia præsentissima, contra præfatas dæmonum tentationes.

CANON V.

Cccc 2

Primum

Primum ac summum remedium est dilecta filia hostis antiqui, callidit̄ serpentis tentamenta, suggestiones, & technas, in mortis necessitate euadendi, vt in mea gratia semper maneat, inhīt̄ obediens meam voluntatem, quatenus eam agnoscis, opere impleas, nec vnquam contra me aut precepta mea siue internas inspirationes (quibus electos meos instruo ac dirigo) ex deliberato proposito agas. Deinde vt etiam firmam cum omnibus Sanctis meis amicitiam inuas, precipue cum beatissima ac gratiosissima matre mea Sancta Maria, quae se omnibus membris meis adhuc in exilio constitutis, multisq; grauaminibus oppressis, maxime amabilem reddit, ac eorum inopiam suis saepe exuberantissimis meritis supplet, hostium vires expugnat, ac desiderium mihi placendi, ipsi subministrat, necnon & cum firmissimis sanctae Ecclesiae columnis Apostolis meis ceterisque sanctis meis, vt & ipsi suis suffragiis & patrocinijs te adiuuent, & ad conspectum meae diuinitatis perducant. Nam non raro hoc illis munus delego, vt animas amicorum meorum sua praesentia in morte protegant, & cum iubilo maximaq; gloria, laetitia & gaudio ad regni caelorum palatia perferant. Maxime etiam necessarium est tibi filia, vt quandiu prospera adhuc gaudes valetudine, indefinenter te exerceas in vera, viuac Catholica fide. Oportet enim vt tam certa sis de vera fide, quam Ecclesia sancta immaculata mea sponsa suos filios docet, quam tibi constat & credis in caelo me esse praesentem, neque villo vnquam tempore de hac sanctae fidei veritate quicquid dubij admittas, etiam si totus mundus insanat, & in amentiam vertatur, nisi velis aeternum animae tuae amare dispendium. Discutias praeterea & examines omnia interiora tua summe necessum est, inuestigando, & perquirendo, vtrum etiam tam bene ac pie de omnibus fidei articulis atque credendorum rationibus sentias, vt verum Catholicum & Christianum deceat, vtrum de Ecclesiae Catholicae sanctionibus, statutis & caeremonijs, ceterisque traditionibus ex Spiritus sancti consilio profectis quicquam dubites. Si autem dubitas, eos interroga, qui te possunt verbo & facto consolari. Et haec fides praecipuum est & firmissimum contra desperationis impugnationem remedium.

Hac debes spe diuinae pietatis esse ornata, ita vt credas misericordiam meam in infinitum maiorem esse, quam vt a tua prauitate possit vinci, & quod nemo in hora mortis extrema grauius me offendere queat, quam de mea benignitate, clementia ac bonitate desperando. Inde est, quod Iudas multo grauius peccauit desperando, quam me vendendo & tradendo. Contra falsam tuorum operum & meritum securitatem, moriens occultum & iustum iudicium meum oppone, quod ignores ipsa an de electorum & praedestinatorum sis numero, an secus: item quia incertum est, an odio an amore sis digna: item quoniam nescis, vtram vnquam tua mihi opera placuerint: aut ob meam diuinam charitatem fuerint facta. Non tamen hae ita sunt agenda vt omnem salutis tuae spem abijcias, aut de mea misericordia desperes, sed semper inexpugnabile fidei scutum in animo tuo retineas, ne forte in alium diaboli laqueum, scilicet diffidentiam incidas. Contra impatientiam vero, his armis morti vicina te munias, vt primo cogites, ex quanta charitate & liberalitate, hac tibi molestiam, qua tam dire vexaris miserim, & quod per hanc eandem a multis peccatorum scorijs expurgare te disposuerim: probeq; iam purgatam ad gaudia aeterna perducere decreuerim. Cogitabis etiam, si ex iustitia mea tecum agere vellem, hanc infirmitatem, multoq; grauiorem vsque in diem iudicij meruisses. Tertio, amarissimam meam passionem recordaberis, eamq; adeo profund

Amicitia
vt cum san-
ctis concili-
anda.

Fides quina
exerceatur.

Spes vt sit
ornamentu
fidei.

Aduersus o-
perum me-
ritumque
falsam praes-
umptionem
remedium
quod.
Eccle. 9.
Impatientia
in morte
qui vincat.

funde in tuo corde imprimis, vt tuarum pœnarum oblita, in meam quasi passionem transmiseris, imbitq; te & omnia tua peccata depones, rogans me per omnem meam, pœnarum acerbissimam, quàm pro tua mundi& totius redemptione petuli, vt pro te patri meo cœlesti satisfacere, omniaq; tua meis sanctissimis meritis abolere delicta velim. Hæc si studiosè feceris, non dubium, quin omnis impatientia & sinistra de me suspitio quasi fumus euanescent. Quarta & vltima tentatio dæmonum est, recuperatæ salutis vana quædam spes, qua quum multi decipiantur, non est qui enarrare sufficiat. Hæc vana, spes toto conatu est tibi procul abijcienda ex animo, quando ipse per meum Apostolum testatus sum: *Dies Domini quasi surit in nocte veniet.* Item: *Media nocte clamor factus est: hoc est nullo sciente: Quis enim te o homo certiore fecit, vt pristinæ sanitati restituaris? Si nemo, vnde ergo speras, quod nescis, vterum futurum sit, nec ne? Vtere ergo consilio saniore & omni virtute qua potes, ad mortem omni hora te expectantem, præpara. Nam idèd illam horam tibi esse volui incertam, vt semper tibi posset esse suspecta.*

Passio Domini vt in morte cordi imprimenda.

Spes vana salutis recuperandæ vti multis imponat.
1. Thes. 5.
Mar. 25.

Gregor.

Mors quam sit amara, de quæ signis quibusdam mortem corporis præcedentibus.

CANON VI.

VT eo sollicitius mortem incertam semper præ oculis habeas & anima, operæpretium est, de eius amaritudine aliqua tibi insinuare, quo semper cum timore & tremore meum aduentum præstoleris, & tuam ipsius salutem opereris. Scio namq; quod hominibus cunctis naturaliter insit, appetitus quidam vanus diu viuendi, & in bonis præsentibus mundi& vanitatibus gaudendi. Sic etiam è contra, à natura eis inditus est timor quidam incertæ & repentinæ mortis. Nam cùm hunc in aquis submersum, alium gladio peremptum, tertium improvisa ac subitanea morte extinctum audiunt, timore reuera concutiuntur, ne fortè vel simile quid illis contingat: quandoquidem nemo pro comperto habet, qui hoc momento viuit & sanus incolumisq; existit, se post horam victurum. Sed ne putes idèd mortem non esse molestam ac amaram, quia quosdam repente, ac quasi sine dolore interimat atque necet, tibi memetipsum in exemplum constituo, qui instantem mortem ante oculos cernens, non solum timore sui concussus, verum cepti insuper pauere & cadere ac tristis esse vsque ad mortem, orabamq; Patrem meum, vt illum à me mortis calicem transferret. Sic quidam mortis amaritudinè ex naturalibus quibusdam causis considerans, in hanc prorupit vocem: *Omniū terribilium, terribilissimum est mors.* Item quidam Sapiens. *O mors quam amara est memoria tua, homini sano & fiduciam habenti in diuitijs suis.* Et quamuis verum sit quosdam quasi sine dolore spiritum suum exhalare, omnibus tamen hæc moriendi nõ contingit conditio, quando complures videas, qui longa & diutina ægritudine ac intolerabili penè corporis molestia vexati, tandè suum extremum claudant diem. Et hi fortè multo feliciores ac beatores atque in sublimiori beatitudinis loco constituendi, quàm priores illi, qui absque pœna defunguntur.

Philip. 4.
Vite lögioris quibusdã affectus insit.

Mat. 26.
Marc. 21.
Lucæ 22.
Aristot. 3.
Acti.
Eccli. 43.
Mori quosdam sine dolore.

Mortem esse super omnia graue propter transgressionem.

Idèd mi filia hoc tene, mortem naturalem omnibus eius circumstantijs ritè penfatis, maximè esse grauam & amaritudine repletam, ob pœnam præuaricationis, propter quã inflicta est. Vt autem huius ipsius mortis memoria profundius cordi